Zu der

Dienstag den 11. und Mittwoch den 12. März

im Fürstlichen Gymnasium

zu haltenden

# öffentlichen Prüfung

ladet

die hohen Landescollegien, den hochedlen Stadtrath,
die Väter und Verwandten der Schüler, und alle Gönner und Freunde
des Schulwesens

unterthänig und gehorsamst

ein

Dr. Christian Lorenz Sommer,
Consistorialassessor und Prof. am Gymnasium.

Inhalt:

I. Observationes polemico-irenicae in Tacit. Ann. XV., 44. Ergo abolendo rumori — urerentur. Ser. Aenoth. Sam. Obbarius, Gymn. Prof. Phil. Dr. AA. LL. Mag. et Magniduc. Soc. Lat. Jenens. Socius Honorarius.

II. Schulnachrichten.

a. S. Obbarius

Rudolstadt.

Gedruckt mit G. Froebelschen Schriften.

1845.

# Ordnung der Prüfung.

| Erster Tag. | | | | Zweiter Tag. | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| Stunde. | Classe. | Gegenstand. | Lehrer. | Classe. | Gegenstand. | Lehrer. |
| 9—10. | | Gesang. Rede des Prof. Wächter. | | I. | Exercit. Extemp. | Sommer. |
| | | | | III. | Geschichte | Hercher. |
| | | Vortrag des Gymnas. Paris. | | IV. | Geometrie | Böttger. |
| 10—11. | II. | Geschichte | Hercher. | I. II. | Hebräisch | Hercher. |
| | III. | Religion | Günsche. | III. | Geographie | Obbarius. |
| | V. | Deutsche Sprache | Klußmann. | V. | Französisch | Gascard. |
| 11—12. | I. | Horat. | Obbarius. | II. | Plutarch. | Sommer. |
| | III. | Caesar | Wächter. | III. | Arithmetik | Böttger. |
| | IV. | Latein | Klußmann. | IV. | Griechisch | Wächter. |
| 12—1. | II. | Mathematik | Böttger. | | | |
| | III. | Französisch | Gascard. | | | |
| | IV. V. | Geographie | Klußmann. | | | |
| 2—3. | | | | I. | Livius | Obbarius. |
| $3-4\frac{1}{2}$. | | Vortrag des Gymnas. Mirus. | | II. | Französisch | Gascard. |
| | I. | Homer. Ilias. | Sommer. | | Translocation in allen Classen. | |
| | III. | Xenoph. Anab. | Wächter. | | | |
| | V. | Latein | Klußmann. | | | |
| $4\frac{1}{2}-5\frac{1}{2}$. | II. | Sallust | Obbarius. | | | |
| | III. | Geometrie | Böttger. | | | |
| | IV. V. | Naturgeschichte | Wächter. | | | |

*„Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos, et quaesitissimis pœnis affecit, quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat. Auctor nominis ejus Christus Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat. Repressaque in praesens exitiabilis superstitio rursus erumpebat, non modo per Judaeam, originem ejus mali, sed per Urbem etiam, qua cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt celebranturque. Igitur primum correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendii quam odio humani generis convicti sunt. Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur“ etc.*

Tacit. Annal. 15, 44. ex recens. Doederl.

Hunc locum duabus imprimis de causis ad interpretandum proposuimus, primum ut ejus utpote locupletissimi nostrae religionis testis eos admoneremus, qui rei Christianae nostra aetate misere a quibusdam v. d. vexatae[1]) externis quoque praesidiis consultum volunt, deinde ut pravam quandam interpretationem, quam nuper de verbis odio humani generis convicti sunt exquisitioribus argumentis probabilem reddere ausus est Zyro, clarissimus ille theologus Bernensis, refutaremus.

Quod Lactantius (Inst. 3, 40, 2.) suae aetatis hominibus quasi speculum, in quod omnes intuerentur, proposuit, „homines ideo falli, quod aut religionem

1) Quaesiverunt olim et quaerunt hodie praeceptores in Gymnasiis constituti, utrum dubia quaedam ad religionem Christ. pertinentia cum discipulis superiorum quidem ordinum melius communicentur, an prorsus reticeantur et discrimini vitae experientia posthac edocendae committantur. Hoc quum sit animi timidi et rebus suis parum confidentis, facile approbo ea, quae nuper de ea re Palmer et Nodnagel disputarunt. Plura dicentur in eo libro, qui hac inscriptione foras dabitur: „Meine Erfahrungen in F. und R. Ein Beitrag zur modernen“ — Interim conf. quae de hac universa re sollerter edocuit Ernestus Thierbach, vir summe venerabilis, in libro: „Der Religionsunterricht auf niedern und höhern Schulen“ etc., Sondersh. 1833, quocum conf. F. Aug. Gotthold: „Der Religionsunterricht in den Gymnasien.“ Königsberg 1841, cum censura in Röhrii „Krit. Prediger-Bibliothek“ 1844. XXV, 1. p. 71 sqq. et Aug. Both. Bothmaler in Progr. schol. Nordhus. 1842. („Diss. de religionis doctrina in gymnasiis coram superiorum classium discipulis tradenda“).

susciperent omissa sapientia, aut sapientiae soli studerent omissa religione", id in nostra quoque tempora cadere haud quisquam negabit. A Lactantio non abhorret et ipse princeps hujus memoriae theologorum Catholicorum, J. H. a Wessenberg, in luculenta illa disputatione: „Die falsche oder eingebildete Wissenschaft in Verbindung mit der Wahngläubigkeit, ein Grundhinderniss der gesellschaftlichen Verbesserung" apud B. A. Pflanz („Freimüthige Blätter" etc. Stuttg. 1842. III. p. 473 sq.). In eandem rem, i. e. in divinae mentis et humanae rationis consensum, quo haec illam recipit et sincere interpretatur, e nostris praeter ceteros dilucide commentati sunt Chr. Fr. ab Ammon („Fortbildung des Christenthums zur Weltreligion." Leipz. 1833. I. p. 55 sqq.) et K. G. Bretschneider („Religiöse Glaubenslehre". Halle 1843. p. 137 sqq.). At vide philosophandi rationem, quae quidem hodie apud multos viget et valet. Ea tam tetrica et spinosa, tamque obscura et mystica est, ut ejus asseclae religionem Christianam aut labefactent aut funditus tollant aut arcanis suis placitis tanquam involucris ita involvant, ut, quid inde extrices, nescias nec, si quid extricaveris, nisi subtilissimum pantheismi genus sentias.[2]) Contra alii in alteram partem detrusi atque a media via prorsus alieni ita sanae rationis usum aspernantur, ut donum divinitus traditum pro telo Christianae religioni infestissimo habeant et Rationalistas quos vocant omni ignominia onerent atque ex cœtu Christianorum fidelium (?!) expulsos velint. Quid,

---

2) Homines hujus generis describunt „Der Protestantismus in seiner Auflösung" etc. Zwei Bände, Schaffhausen, 1843. I. p. 137 sqq. et Fr. K. Wild: „Der moderne Jesuitismus. Ein Beitrag zur Aufdeckung des unredlichen Verfahrens der Menschenvergötterung im Kampfe gegen die evangelische Wahrheit." Nördlingen, 1843. p. 144 sqq. At ille aut homo mendosus est, quem mendax infamia terret quique in formula Catholicorum omnem sitam putat salutem, hic quidem candidus pro re Christiana et placitis Evangelicorum propugnator, sed verendum est, ne nihil agat, quum formulas quasdam praeteritorum temporum pro foliis Sibyllae habet et Augustini rivulos limo turbatos in limpidissimum purissimumque rei Christianae fontem deducere in animum induxit. Nostra enim aetas accuratiore rerum cognitione fundata aliam postulat medendi rationem atque ea est, quam homines quidam vel nimium timidi vel veterrima quaeque pugnacissime defendentes inire volunt. Veritas autem vi sua propria valet semperque valebit. Quapropter illi caveant, ne, ut utar verbis Lactantii Inst. 3, 1, 8, dum humanis erroribus succurrere cupiunt, ipsi se in plagas et errores maximos induant. Sobrie de hac omni re judicant Baumgarten-Crusius in N. Jen. Lit. Zeit. 1843. N. 1—3., Ern. Reinhold ibid. 1844. N. 105—6. et W. M. L. de Wette in commentar. ad Evang. Matth. (Leipzig, 1838.) „Vorwort zur ersten Auflage" p. VII. Neque iis, qui non ipsum theologorum nomen profitentur, inutilis erit K. Aug. Streicheri liber: „Das neue Evangelium der Gegenfüssler" etc. Leipzig, 1844. Sed res ita comparata est, ut, dum alii religionem Christianam ut fucum ligna putant, alii illam ipsam unionem auctore optimo rege inter Lutheranos et Reformatos quos vocant factam non ferendam existiment, licet ea sit non illiberale liberitatis Christianae documentum, de quo recte judicat Theod. Mundt in ephemerid. „Der Freihafen". 1843. Octobr. p. 71.

quod his verbo, non re illi ipsi assentiuntur, qui obscura illa philosophandi ratione uti paulo ante diximus. In tam varia tamque diversa de rebus summis sentiendi ratione nemini non propositum esse debet, ut sine partium studio ipsum sacrum fontem adeat et, si fieri potest, historiae luce collustret. Ita fiat necesse est, ut is firmo quasi fundamento innixus deliramenta devitet, quae ii profundunt, qui sola mentis agitatione sublimia ac summa curant atque ad suum stomachum fingunt. Sed et his non omnem detractum volumus honorem, si modo sincero videndi veri amore ducti summa ima perscrutentur. Huc accedit, quod eorum consilia quamvis calida, si quid veri hucusque latuit, proferent aut certe impedient, ne res Christiana tanquam in quodam incili adhaereat vel cum cultoribus suis torpescat. Vere autem detestabiles ii sunt habendi, qui bilingues aliter in aulicorum cœtu atque in sodalium circulis loquuntur, vel qui, quamvis intus sint ab ingenua sentiendi agendique ratione alieni, per ora hominum incedunt pietate quadam speciosi. In tales convenit illud poetae Venusini: „Hic niger est, hunc tu, Romane, caveto“! Ac ne longi simus in iis describendis, qui rei Christianae testimonia ab exteris scriptoribus prolata aut fugiunt aut negligunt, jam eorum ratio habenda est, qui de paucitate talium rerum queruntur.

Judaei enim quum rebus et feliciter et infeliciter gestis apud omnes fere gentes famam nacti essent et institutis suis ab aliarum gentium moribus alienis omnium quasi oculos in se convertissent, fieri non potuit, quin et exteri scriptores eorum res et instituta suis literarum monumentis insererent et in ipsas eorum origines inquirerent.[3]) Quae quidem res quomodo Tacito optimo cetera scriptori plus invidiae quam gratiae attulerit, non est hujus loci expendere, quanquam negari nequit, in re difficillima si quid deliquerit scriptor, non ipsi, sed ejus, quos secutus est, auctoribus tribuendum videri. Contra Christiani per primum fere saeculum sub Judaeorum umbraculo in eorumque communione tuti latuerunt. Conf. Tertull. Apol. 21. Nam hic ipse Taciti locus satis indicat, Christianos etiam Neronis aetate pro peculiari quadam Judaeorum secta habitos esse. Hinc illa priori-

---

3) Locos scriptorum profanorum ad Judaeos spectantes collegit Fr. C. Meier in singulari libro: „Judaica.“ Jen. 1832. Huic, qui omnes numeros non habet, nunc addendus est Chr. Jac. Schmitthenner in Progr. Weilburg. 1844. „Percensentur ethnici scriptores graeci et latini, qui de rebus Judaicis commemorarunt vel commemorasse dicuntur.“ De loco Taciti Judaeorum origines describente Hist. 5, 1—5. praeter ceteros accurate disputant Fr. ab Ammon („Abhandlungen aus der zweiten Ausgabe der Fortbildung d. Chr. z. Weltreligion.“ Leipz. 1838. p. 53—68.), Fr. Jacob in Progr. schol. Lubecc. 1840. („Ueber eine Stelle aus des Tacitus Geschichtb.“ p. 1—16.) et J. G. Müller in „Theol. Stud. u. Kritiken“ 1843. IV. p. 839—958.

bus duobus saeculis testimoniorum de re Christiana prolatorum paucitas, hinc illa sollemnis Christianismi cum Judaismo commutatio et confusio, quae quidem res locum, quem explicandum suscepimus, clariore in luce ponet.[4]) Locus autem Suetonii [5]) in vita Claud. 25., quem multi huc facere sibi persuadent, sua brevitate tam obscurus est, ut verba: „Judaeos, impulsore Chresto, assidue tumultuantes Roma expulit“, haud scio an hanc sententiam habeant, Judaeos de adventu Christi i. e. Messiae per Christianos edoctos ob eamque rem perpetuo inter se dissidentes et cum Christianis disceptantes tumultus excitasse. Ob eandem rem i. e. quoddam turbas dandi studium Judaeos, qui in urbe Roma ab Hierosolymis per Pompejum a. u. 691. expugnatis frequentes erant (Appian. Syr. 50. Phil. Legat. ad Caj. p. 1014. ed. Frcf. Dio Cass. 37, 17.), jam notarunt Cicero pro Flacc. 28, 67. et Horatius Sat. 1, 4, 143. A Suetonio non prorsus abhorret Dio Cassius 60, 6. Jam peractis peragendis ad propositum revertamur.

Ergo abolendo rumori — affectus erat. Anno u. c. 817=64. p. Chr. nat. incendium tam atrox Romam vastasse, ut ex quatuordecim regionibus,

---

4) De illa dixit Tzschirner in Diss. „Romani et Graeci scriptores cur rerum Christianarum raro meminerint“ Opusc. acad. p. 283—309., de hac Lips. ad Tac. l. l. et Rupert. ad eund. I. p. XXXIX. Bingam., Orig. Eccl. 1, 1, 10. I. p. 13., Jo. Stiglitz in Symb. litt. Decur. II. Vol. IX. p. 88., Burm. ad Val. Fl. 1, 15., Bremi ad Suet. Tib. 36., Heind. ad Horat. Sat. 1, 4, 143., Hildebr. ad Arnob. adv. Nat. 3, 12. p. 271. coll. ab Ammon „Geschichte des Lebens Jesu.“ Leipz. 1842. I. p. 144 sq. Quomodo illa confusio Christianis magis profuerit quam obfuerit, edocet Gieseler in „Lehrbuch der Kirchengesch.“ I. §. 12. p. 30. §. 28. p. 93. ed. 2.

5) Qui Chrestum, pro quo Orosius 7, 6. eandem rem narrans Christo scripsit, ut Altmann („Neue Beiträge von alt. und neuen Theol. Sachen“ etc. 1756. V. p. 643.), Ernesti et Bremi ad h. l. pro Judaeo libertini generis habent, ii non satis reputasse videntur literarum e et i permutationem, quam quidem in hoc nomine admissam testantur Justinus M. in Apol. I. 4. ibique Otto p. 145., Athenag. leg. 281. 282., Tertull. Apol. 3. Lactant. Inst. 4, 7, 5. ibi Bünem. p. 445. coll. Lips. ad Tac. l. l., Hug. Grot. ad Act. Apost. 18, 2. et Hammond ibid. 26, 31. et, quem hic laudat Pabst in Eclog. Tac. p. 177., Chr. Wormius de corruptis antiquitatum hebr. ap. Tac. et Martial. vestigiis. Hafn. 1693. I. p. 4. De ipso Suetonii loco vide quos laudat Winer in „Bibl. Realwörterbuch“ s. v. Claudius et Rom, quibus adde de Wette ad Act. Apost. 18, 2., L. J. Rückert in Commentar. ad Paul. epist. ad Roman. (Leipz. 1831.) p. 658., Neander in „Geschichte der Pflanzung und Leitung der Chr. Kirche durch die Apostel“ Hamb. 1832. I. p. 254., Bretschneideri „Religiöse Glaubenslehre“, p. 237., Fr. ab Ammon in „Geschichte des Lebens Jesu“. Lpz. 1842. I. p. 145. et Tob. Eckardi Non-Christianorum de Christo testimonia. Quedlinburg. 1736. p. 5 sq. coll. Vogel in Gableri „Journal für auserles. Theol. Literatur.“ I. p. 232 sqq. et F. F. Fleck in „Wissenschaftliche Reise“ etc. Leipz. 1833. II. 2. Abhandl. III. „Juden in Rom.“ De Judaeorum alios in suam turbam convocandi studio vide E. A. Schulzii Exercitatt. philol. fasc. nov. Hag. Comit. 1774. p. 3-8. coll. cum iis, quos laudat Gesenius in „Allgem. Encyclop. v. Ersch u. Gruber.“ X. p. 76. Not. 10.

in quas Roma tum divisa esset, vix quatuor integrae manserint, Tacitus uberius enarrat c. 38 sqq., quae quidem clades utrum forte an dolo Neronis orta sit, pro incerto habet Tacitus, pro comperto habent alii, ut Dio Cass. (Xiphil.) 62, 16–18., Suet. Ner. 38., Sulpic. Sever. Hist. sacr. 2, (29.) 41., Euseb. Hist. eccl. 6., 38—40. Conf. Rupert. ad Juven. 1, 155—57. Quicquid est, rumori isti abolendo Nero subdidit Christianos tanquam reos. In hujus rei enarratione primum nobis offertur insigne illud historiae sacrae documentum Pontius Pilatus, procurator Judaeae, qui imperitante Tiberio Christum supplicio affecisse dicitur (Matth. 27, 1 sqq., Marc. 15, 1 sqq., Luc. 3, 1. 23, 1 sqq. Joann. 18, 24—38., Act. Apost. 3, 13. 4, 27. 13, 28. Paul. Ep. ad Timoth. 1, 6, 13.). Quum ille teste Josepho (Antiq. Jud. 18, 4, 2. *δέκα ἔτεσιν διατρίψας ἐπὶ Ἰουδαίας*) decem annos Judaeae i. e. ab anno u. c. Varr. 778. vel initio 779. usque ad a. 789 = 26 — 36. vel, ut alii opinantur, ab anno 28 — 37. post Chr. nat. præfuisset,[6]) quum ex hac annorum computatione, tum ex Evang. Luc. 3, 1. certo efficitur, Jesum intra annos 28. (mens. Aug.) et 37. (ante mens. April.) cruci affixum esse. Vereor autem, ne qui annum Christi interempti accuratius, uti Tertullianus, Julius Africanus, Lactantius, alii definiunt, loco apud Luc. 3, 1. male utantur.[7]) Etenim quum dies 15. mensis Nisan et is anni 30. p. Chr. nat. solus in diem Veneris ex numero annorum 29 — 33. inciderit, ex hac subducta ratione, Jesum die 7. mens. April. a. 30 = 783. u. c. Varr. supplicio affectum esse, facile intelligitur. Neque olim defuerunt, qui teste Clemente Alexandrino (Stromat. I. p. 430. Sylb.) eundem calculum posuerint. Quod si ita est, illi quoque loco, quo

---

6) Rationem posteriorem Gieseler et Hase sequuntur. Sic se res habet. Vere anni 37. quidem in Italiam rediit Pilatus paulo post obitum Tiberii, i. e. XVII. Kal. April., sed jam anno 36. eum ex provincia decedere jusserat Vitellius. Conf. Joseph. Antiq. Jud. 18, 2, 2. et Wineri Bibl. Realw. s. v. Pilatus.

7) Tertull. adv. Jud. 8. p. 215. D. ed. Rigalt. *Quae passio perfecta est sub Tiberio Caesare, Css. Rubellio Gemino et Fufio Gemino, mense Martio, temporibus paschae, die* VIII. *Kalendarum Aprilium, die primo azymorum, quo agnum ut occiderent ad vesperam, a Moyse fuerat praeceptum . . . Hujus (Tiberii) quinto decimo anno imperii passus est Christus, annos habens quasi* XXX *quum pateretur.* Jul. Africanus ap. Hieronym. in Daniel. 9. V. p. 501 C—H. ed. Frcf. et Lips., Lactant. Inst. 4, 10, 18., de Mort. persec. 2. Epit. 45. Hanc sententiam praeter alios suam fecerunt Sanclemente in Exercitat. chronolog. libro *de vulg. aerae emendatione* annexa p. 559. et Ideler in „Lehrbuch der Chronologie“ p. 432. De die mortis vide Marianum Scotum ap. Pertz „Archiv d. Gesellschaft f. ält. deutsche Geschichtskunde.“ V. p. 771. N. 7. et p. 772. N. 22. 23. N. 65. Sed mihi quidem probatur ratio Caroli Wiseleri in „Chronologische Synopse der vier Evangelien.“ Hambg. 1843. p. 386 sqq. coll. Fr. ab Ammon „Geschichte d. Leb. Jesu“ II. p. 148. (Leipz. 1844).

de anno Christi nati agitur,[8]) facem praelatam videmus. Quum scriptor nomini olim claro, nunc paene infami, Pontio[9]) explicandi causa addiderit procuratorem Judaeae, eo ipso tollitur illa, qua offensi sunt verbi ἡγεμόνος, praesidis (Matth. 27, 2. 11. 15. Ignat. Ep. ad Magnes. 11. p. 139 [ed. Hefele] coll. Act.

8) Aeram vulgarem, quae a Dionysio Exiguo nomen habet et annos rerum gestarum ab anno 754. u. c. Varr. numerat, a vero aberrare vel ex nummis constat. Vide Vaillant in Mémoires de Literature tirés des Registres de l'Academ. Royale des Inscr. et Belles-Lettres. III. Paris 1772. p. 185 sqq. Itaque et causam et rationem miror, qua Hase (Leben Jesu. Leipz. 1840. §. 28.) sententiam diu explosam tuetur idemque offendor, quod Bretschneider (Relig. Glaubensl. p. 265.) ex impia Judaeorum sermocinatione ap. Joann. 8, 57. instar proverbii sonante, Christum paene 16 annis ante quam fama ferat esse natum, effici vult. Ut omittam novissimum W. Blockii tentamen: „Das wahre Geburtsjahr Christi, oder wir sollten 1862 statt 1843 schreiben. Nebst Anhang" etc. Berlin 1843., qui vir doctiss. haud scio an magis delirarit quam erraverit, quum ex iis calculis, quos supra posuimus, tum ex sententia satis probabili, Christum annum vitae 33. non excessisse, improbanda quoqua ea opinio videtur, quae Keppiero et Sanclementio auctoribus plurimos nostra aetate nacta est patronos ut Münterum, Idelerum, Winerum, Huschkium, Evrardum et, nisi fallor, Baumgarten-Crusium (ad Matth. 2, 2. ed. Otto.) Hi enim viri doctissimi — et multo plures sunt — stellam a Magis visam (Matth. 2, 1—22.) ad singularem planetarum Saturni et Jovis conjunctionem in signo Piscium a. u. 747. referunt. At quum, ut ego quidem sentio, Matth. 2, 2. non de *stella in Oriente*, sed de *stella oriente* dicatur et ex versu 16. satis appareat, Magos duobus demum annis post illius stellae ortum in Judaeam profectos esse, sequitur, ut Christus vel anno exeunte 749 vel ineunte 750 ante obitum Herodis M. natus sit. Accuratiorem hujus rei expositionem qui volet, petat ex erudita Wieseleri disputatione l. l. p. 48 sqq. Neque hac data occasione possum facere, quin pie recolam unius quum ex nostratibus, tum ex meis Chr. Lud. Obbarii memoriam, qui pro sua ratione modoque in hanc rem scripsit „Christliche u. vernünftige Gedanken vom Stern der Weisen" etc. Nordhausen, 1743.

9) Pontiae gentis primum mentio fit a Livio 5, 46, 8., num idem sit, quem laudant Lucilius ap. Cic. de Fin. 1, 3, 9. et Cicero in Cat. maj. 10, 33., cum Gernhardo dubitari potest. Ad Pontii Pilati aetatem propius accedunt Pontius Aquila ap. Poll. in Cic. Ep. ad Div. 10, 33, 10., Suet. Caes. 78. [Hinc illa egregia conjectura ap. Reiche ad Paul. Ep. ad Rom. 16, 3. et de Wette ad Act. Apost. 18, 2.], Pontius Ausidianus ap. Val. Max. 6, 1, 3., Pont. Lupus ibid. 8, 7, 5., Tit. Pont., centurio quidam 3, 8, 7. et M. Pontius 6, 1, 13. Alios recenset Orellius in Onomast. Tull. II. p. 481.; consules fuere Pont. Nigrinus 789. u. c., Pont. Laelianus 915., Pontius Gentianus 935. sec. Fast. Consul. ed. Bait., Tit. Pontium exhibet inscr. in Ge. Fabric. Collect. Antiq. p. 234. ap. Rupert. ad Juv. 6, 638., M. Pont. inscr. anni 131 post Chr. nat., de qua vid. Osann in Zimmerm. „Zeitschrift f. d. Alterthumsw." 1839. p. 516., Pontii, Diac. Cypriani mentionem facit Hieronymus de Viris illustrib. I. p. 187. B. Cognomen Pilati, quod alias non legitur, a re militari aeque ac C. Numonii Valae ap. Horat. in Epist. 1, 14. (ib. nostr. annot.) desumptum videtur. Simile quid indicat Hieronym. Comment. in Marc. XV. (IX. p. 91. B): *Quod significat nomen Pilati i. e qui domat ferreas gentes, ut regat eas in virga ferrea* etc. Quum nomen et cognomen vere Romanum sit, nemo, opinor, credulas aures accommodabit versibus (ut multis visum est) ad notam ignominiae Germanis inurendam compositis: *Forchhemii natus est de statione Pilatus, Teutonicae genitis, crucifixor omnipotentis.* Vid. Vulp. „Curiositäten," 1820. VIII, 2. Auctor versuum me fugit, hoc unum constat, M. Antonium Sabellicum Coccium, Pomponii Laeti discipulum, inter primos fuisse, qui Pontium Germaniae asseruerit.

Apost. 23, 24.) ambiguitas. Ut enim saepe qui ἡγεμόνες essent ἐπίτροποι dicti sunt (Justin. M. Apol. I. 34. ib. Otto p. 208.), ita nonnunquam nomen generale ἡγεμόνος, praesidis ei, qui ἐπίτροπος, διοικήτης, procurator esset, inditum est, de qua re erudite disputarunt Fischer in Prolus. XVIII. de Vitiis Lexic. N. T. p. 17 sqq. et J. A. Ernesti in Diss., qua Dom. Magnani sententia de anno Christi nati examinatur (Opusc. philol. crit. p. 420 sqq.). Quapropter veniam dabis Lactantio (Inst. 4, 18, 4. coll. Epit. 45, 8), quum Pontium Pilatum tum legatum Syriam rexisse dicit. Ei praeivisse Tertullianum (Apol. 21.) et Cyprianum (de Idol. vanit. 7.) significavit Bünemannus ad illum loc.; hinc ridebis de Barthii infelicissima conjectura, qua legendum censuit: qui sub Silano Judaeam regebat. Conf. Barth. Adv. 7, 2. Quod ipsum fuerit procuratoris officium et munus, post Lipsium in Exc. II. ad Tacit. Ann. 12, 60. dilucide nostra aetate exposuerunt Walch ad Tac. Agric. 4. et 14. p. 221., Grossmann de Procuratore, parabola Jesu Christi etc. Lips. 1823, Creuzer in „Abriss der Röm. Antiq.“ §. 184. p. 281 sqq., quibus suum calculum adjecerunt Ruperti ad Tac. Ann. 4, 15, 2., Hess ad Tac. Dial. 7. p. 42., Jacob ad Lucian. Alexandr. 39. p. 74. et Hildebrand ad Arnob. 2, 26. Ceterum quae Pilatus in Judaea vel recte vel perperam fecerit, in vulgus nota sunt (Phil. Leg. ad Caj. p. 1034. ed. Frcf., Joseph. Antiq. Jud. 18, 2, 2. et 18, 3, 1. 2. 4, 1. 2. B. Jud. 2, 9, 2—4. ed. Oberth.), ut satis habeamus, aliquot viros et literis et polito judicio insignes nominasse, qui nostra memoria subtiliter ejus sentiendi rationem, qua quidem in Christo condemnando usus est, persecuti sunt i. e. H. E. G. Paulum in „Philol. krit. u. histor. Kommentar“ ad Matth. 27, 11—31., Hasium in „Leben Jesu“ §. 117. et Draesekium in „Betrachtungen über den Heimgang unsers Herrn nach Johannis Evangelium“ p. 166—173. Qui de hominis et judicis vita et moribus scripserunt, eos recensent Hase l. l. p. 195. et Winer l. l. s. v. Pilatus. Nescio autem, utrum uterque Vir d. bina programmata haud infimi loci et Kirchmaieri et Mitternachtii[10]) invitus praetermiserit, an consulto reliquerit; item utrumque fugisse videtur poema latinum, quo poeta quidam medii aevi Pilatum nescio laudene ornarit an opprobriis laceraverit. Hujus poematis versu hexametro compositi primus, quod sciam, ex libro ms. quo-

---

10) Kirchmaieri Progr. de Pontio Pilato. Vitbg. 1679. non immemor fuit Pabst, vir diligentissimus in Ecl. Tac. p. 177, Mitternachtii autem Diss. de Pontio Pilato legitur in libro, qui inscriptus est: M. Joh. Seb. Mitternachts (sic) Illustris Rutheni Rectoris Dissertationes Historicae. Numburg. 1666. 8. p. 1—16 et p. 144—194.

dam Helmstadiensi notitiam contraxit Polyc. Leyser in Historia Poetarum et Poematum med. aevi p. 2125.[11]) Ac ne funestum Pontii exitum commemorem, quem sibi ipse morte voluntaria properasse tradunt Eusebius (H. E. 2, 7.), Nicephorus (2, 10.), et Orosius (7, 5.)[12]) unum restat, quod quidam rei Christianae adversarii — in quibus hodie non tam eos posueris, qui omnia mythorum plena vident, quam qui res gestas pro deliramento veteris ecclesiae venditant — ex hac rerum copia aut negando aut addubitando nobis opponunt. Est somnium illud uxoris[13]) Pilati Matth. 27, 19., quam in provincia apud maritum fuisse ideo negant, quod Severus Caecina ap. Tac. Ann. 3, 33, 1. legem tulerit (a. u.

---

11) De poemate quidem quum librum illum ms. in Ducali bibliotheca Guelferb. asservari suspicarer, per literas consului Schoenemannum, V. clarissimum, qui qua in me est semperque fuit humanitate, accuratissime me edocuit, duos istic esse hujus argumenti libros mss., alterum Helmstadt. nr. 185. a Leysero significatum, alterum Aug. (37. 34.), a quo ultimi duo versus abessent, poema ipsum 346 versibus constare atque sic (ms. Helmst. fol. 217 a — 219 e) incipere: *Si veluti quodam* (leg. *quondam*) *scriptor vel scripta placerent In non docendo multi velut ante studerent Sed quia sub vicio multorum corda tenentur Ut si* (= *omni*) *qui scribant delirare videntur Soli nummosi digni reputantur honore Ingenium virtus animi sunt absque decore* etc., versus finales hujus esse tenoris: *His igitur gestis redierunt ad sua quique Cessavitque vetus* (= *metus*) *submerso pestis* (= *sic*) *inique Principium finis sceleris et facta patrati Scriptis clarescunt breviter et vita pilati.* Neque moramur poetas recentioris et recentissimae aetatis sua quisque ratione Pilatum describentes ut Vidam Cremonensem in Christiade (2, 970 sqq.), Hug. Grotium in Christ. patient. ed. Triller p. 13 sqq., Klopstockium in Messiade (7, 65 sqq.) et Sigism. Wiesium („Jesus. Drama." Berlin 1844.), quem nisi ex „Blätter f. literär. Unterhaltung" 1844. Nr. 242. non novimus. De Actis Pilati ab Justino Mart. (Apolog. I. 35. ibi Otto p. 211. et 48.), a Tertulliano (Apolog. 5. et 21.), ab Orosio 7, 4. aliisque commemoratis et Evangelio Nicodemi insertis post accuratam Henkii curam (Opusc. acad. Lips. 1802. p. 199 sqq.) hic disputare non attinet. Hoc unum addam eorum commodis inserviens, quorum hoc scire interest, ea in patrium sermonem translata nunc legi apud Borbergium in „Bibliothek der neutestamentlichen Apogryphen. Gesammelt und übersetzt ..." Stuttg. 1840. Tom., I.

12) Orosius l. l. *Pilatus autem praeses, qui sententiam damnationis in Christum dixerat, postquam plurimas seditiones in Hierosolymis explevit et fecit, tantis irrogante Cajo angoribus coartatus est, ut sua se transverberans manu malorum compendium mortis celeritate quaesierit.* Huc facere videtur duplex memoria, quae de Pilato in monte quodam Helvetiae abdito vel Rhodano immerso hodieque prodita est. Vide Cannabichii „Hülfsbuch beim Unterrichte in der Geogr." I. p. 354 ed. 2. et praeter ceteros Mitternachtium p. 12 sqq. et 159 sqq.

13) Nomen ejus Claudia Procula vel Procle fuisse dicitur: vide quos laudant Mitternacht l. l. p. 151., Paulus ad Matth. 27, 19., Winer s. v. Pilatus p. 312. Quum cognomen Procli in gente Claudia saepe inveniatur, non inscite conjicit Münter („Stern der Weisen"), Claudiam Proculam pro liberta domus Claudianae, a qua ob eam rem Pilatus procuratoris honore auctus sit, videri habendam esse. Ingeniosam conjecturam non improbat Creuzer in „Abriss d. Röm. Antiquit." p. 285. Quicquid est, Klopstock (Messiad. 7, 31.) quum Pilati uxorem Porciam nominat, non aliam narrationem esse secutus, sed illud nomen mulieri probae suo quidem arbitrio imposuisse videtur.

774 = 21. post Chr. nat.), ne quem magistratum, cui provincia obvenisset, uxor comitaretur. At pace illorum virorum plus aequo morosorum, non illo ipso tempore Valerius Messalinus et Drusus legis suasori adversati sunt? Non secum habuit Felix Drusillam (Act. Apost. 29, 24), non Plinius uxorem carissimam (Epist. 10, 121)? Neque rem in dubitationem vocatam silentio praeteriere viri eruditi, ut Heineccius et Ch. Gu. Fr. Walchius.[14]) Ac ne diutius nos eae res morentur, quas aut pruritus novandi temere profudit, aut inscitia rerum inconsulto obscuravit, paucis tangenda sunt verba, quae sequuntur: supplicio affectus est. Tacitus si addidisset[15]) servili, luculentissimum nobis dedisset crucis testimonium. At aequi bonique faciamus gravissimi auctoris verba; etenim in ista penuria rerum divina providentia alium nobis quasi excitavit testem, Lucianum de Morte Peregrini 11. (VIII. p. 279 Bip.), qui de Christianis et Christo inter alia prodocet haecce: *τὸν μέγαν γοῦν ἐκεῖνον ἔτι σέβουσιν ἄνθρωπον, τὸν ἐν τῇ Παλαιστίνῃ ἀνασκολοπισθέντα, ὅτι καινὴν ταύτην τελετὴν εἰσήγαγεν ἐς τὸν βίον.* Ibid. 13. *τὸν δὲ ἀνεσκολοπισμένον ἐκεῖνον σοφιστὴν αὐτῶν προσκυνοῦσι* etc. Nolumus autem hic quaerere, Pilatusne Christum ordine atque recte i. e. jure Romano interfecerit, quanquam sunt, qui illud aut praefracte negent aut confidenter affirment. Hoc unum pro comperto potest haberi, jus vitae et necis penes praesides provinciarum fuisse,[16]) penes procuratores, nisi vice praesidis aut cum potestate fuerint, non item. Ad hanc autem sententiam ut accedamus, eo quoque adducimur, quod scriptores Christiani, quo propius a Pilati temporibus absunt, eo minus severe acerbeque de ejus agendi ratione judicare solent. Primus iniquissime, quantum ego scio,

---

14) Ille in *Antiq. Roman. jurispr.* Append. 1, 4, 109. p. 279. ed. Leov. et Franeq. 1777, hic in *Commentat. de Felice trium reginarum marito* §. XV. p. 105. Symb. litter. Dec. sec. Vol. III. Rom. 1752. Conf. et Lips. et Rupert. ad Tacit. l. l.

15) Liv. 24, 14, 7. *Qui caput hostis retulisset, eum se extemplo liberum jussurum esse; qui loco cessisset, in eum servili supplicio animadversurum*, ubi Fabri recte confert 3, 18, 10. et Auct. B. Hisp. 20. *Servi sunt in crucem sublati, militi cervices abscisae.* Adde Cic. in Verr. 5, 66, 169. *ut Italia alumnum suum servitutis extremo summoque supplicio affixum videret.* Horat. Sat. 2, 7, 47 (ib. Heindorf) de servo, qui Stoicam faciem induit: *uter nostrum cruce dignius Peccat?* Plura vide ad Horat. Epist. 1, 16, 48. coll. Bünem. ad Lactant. Inst. 4, 18, 10—12. Hinc etiam defenditur scriptura a Gesnero servata ap. Claudian. ep. XCV, 16. *Quin et supplicii nomen nexusque subisti, Ut nos subriperes leto* etc. ubi Cujacius, Claverius, Heinsius, alii *mancipii nomen* scripserunt.

16) Conf. Lips. Excurs. II. ad Tac. Ann. 12, 60. et Heinecc. Antiq. jur. Rom. Append. 1, 4, 111. p. 218. et de universa autonomia Judaeorum quos laudat Falk in „Jurist. Encyclop.“ Viert. Ausg. Leipz. 1839. §. 53. p. 98.

Auctor de Passione Domini v. 34. dixit: Finge animo et testes et coeci infanda Pilati Judicia. At hoc poema,[17]) quod multi Lactantio vindicant, ab eo abjudicandum cum Bünemanno, Gorio, aliis, pluribus de causis arbitror. Una instar omnium posita est infra. Sed redeamus ad verba: quaesitissimis poenis affecit, quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat.

Ergo per flagitia invisos! Male quidem et vero et utili prospiciunt boni illi viri, qui Christianos primaevos tam puros atque insontes, tamque bonos atque candidos, qualis terra non tulerit candidiores, nobis utpote hominibus deteriore quasi luto fictis ob oculos ponunt; quod secus esse testatur Pauli utraque epistola ad Corinthios missa, testatur Tertullianus Montani signa secutus de Jejuniis 17. p. 714 A. Nihilo minus erraret vel maxime, qui Tacitum in Christianos majorem vitiorum culpam hominibus, ut sunt, haerentium contulisse opinaretur. Habes vocem per flagitia[18]), quae huic loco clarissimum praefert lumen. Jam res in promtu est. Intelliguntur quaecumque in arcanis Christianorum conventibus fiebant, quaeque quo magis exteris et profanis abscondebantur, eo pejorem in partem vertebantur. Ethnici enim Christianis imputabant auctoribus imprimis Ju-

---

17) Legitur illud poema in Lactantii ed. Bünem. p. 1525 sqq. Versus autem 50: *Flecte genu, lignumque crucis venerabile adora* ab aetate Lactantii ut non magis alter abhorret. Fingitur igitur imago Christi cruci in templo positae affixi. At tales imagines exitu demum saeculi septimi solitas esse exprimi ex monumentis fide dignissimis facile intelligitur. Nam quum antea crux vel sola vel cum agno adstante aut in ara tanquam occiso in templis et conventibus sacris piis adorantium animis exposita esset, synodo Trullana anno 680. decretum est, „ut loco figurae *agni* pingeretur in cruce Christus in figura hominis.“ Hausimus hoc, ne in alienam messem more quorundam incurrere videamur, ex doctissimo A. Fr. Gorii Commentario *de Mitrato Jesu Nazareni crucifixi capite* in Symb. litterar. III. p. 173. Conf. ibid. p. 209 — 245. P. M. Paciandi etc. *de veteri Christi crucifixi signo et antiquis crucibus Diatr.* et D. A. Costadoni Veneti etc. *in Graecam pervetustam Jconem ligni s. crucis in monasterio S. Michaelis de Muriano adservatam Obss.* p. 6 — 76. Similia vide apud novissimum editorem Prudentii ad Psych. 57. p. 111. Tacere tamen nolo, illud poema in libro ms. Bruxellis asservato hanc habere inscriptionem, *L. Coelii Lactantii Firmiani pia naenia verbi crucifixi*, quam se vidisse testatur Aug. Scheler in Naumanni Serap. 1843. N. 5. p. 77.

18) Quid *flagitium* significet, intelligitur ex insigni loco Germ. 12. *Proditores et transfugas arboribus suspendunt: ignavos et imbelles et corpore infames coeno ac palude, injecta insuper crate mergunt. Diversitas supplicii illuc respicit, tanquam scelera ostendi oporteat, dum puniuntur, flagitia abscondi.* Cic. in Verr. 4, 32, 71. *Convivia — quae domesticis stupris et flagitiis flagrabant.* Vid. Hess. ad prior. loc. p. 55. coll. Doederl. Synonym. II. p. 141., in rem Tzschirner „Fall des Heidenthums“ (Leipz. 1829.) p. 230. et quos laudat Kortholti Pagan. Obtrectat. p. 546 sqq. et Huldrici Gentil. Obtrectat. p. 212 sqq. Utor ego quidem Kortholti de Calumniis paganorum in vett. Christ. sparsis Tractat. Kilon. 1668. p. 157 sqq.

daeis[19]) *Θυέστεια δεῖπνα* et *Οἰδιποδείους μίξεις* (Athenag. Legat. pr. Chr. 3. p. 4. C. ed. Colon.). Hinc acerrimus ille pro Christianis propugnator Justinus Martyr (Apol. I. 26. p. 194* ib. Otto): *Εἰ δὲ καὶ τὰ δύσφημα ἐκεῖνα μυθολογούμενα ἔργα πράττουσι, λυχνίας μὲν ἀνατροπὴν καὶ τὰς ἀνέδην μίξεις καὶ ἀνθρωπείων σαρκῶν βόρας, οὐ γιγνώσκομεν.* Id. Dial. c. Triph. 10. 17. 108. Minuc. Fel. Octav. 9, 9. 31, 1. Euseb. H. E. 5, 1. In eandem rem Tertull. Apol. 7. Dicimur sceleratissimi de sacramento infanticidii et pabulo inde et post convivium incesto. Ibid. 16. Ventum est ad horam lucernarum et caninum ministerium et ingenia tenebrarum. Recordari pudet impudentissimam illam pueri mactati in sacris tirunculorum recipiendorum institutis criminationem (Minuc. Fel. Octav. 9, 7. 28, 6., Otto ad Justin. M. Apol. II. 12. p. 310), itemque rumorem de cultis sacerdotum genitalibus et de capite asini pro re divina habito sparsum (Min. Fel. 9, 4. Tertull. Apol. 16.), illud enim epularum Thyestarum et concubitus incesti crimen in Christianos temere jactum ex coena dominica ortum esse quis est, qui non videat? Ea enim peracta Christiani ad mutuum amorem significandum inter se osculabantur, ita tamen, ut utriusque sexus observaretur observantia. In hanc quidem rem Justinus Martyr (Apol. I. 65. p. 266): *Ἀλλήλους φιλήματι ἀσπαζόμεθα παυσάμενοι τῶν εὐχῶν.* Tertull. de Orat. 14. (p. 155. A.) Sic et die Paschae, quo communis et quasi publica jejunii celebratio est, merito deponimus osculum. Hoc osculum (Paul. ad Rom. 16, 16., ad Corinth. 1, 16, 20. 2, 13, 12., ad Thess. 1, 5, 26.) alias *φίλημα ἅγιον, φίλημα ἀγάπης* vocatum, Clementi Alexandr. (Paedag. 3, 11. p. 257. A.) *φίλημα μυστικὸν* itemque Chrysostomo (Homil. 13. p. 465.) *ἀσπασμὸς φρικωδέστατος* audit, si quis inveniatur, qui, quum introrsum turpis sit et animi ab amore alieni, alterum sancto illo osculo colere audeat. Hinc illae, ut ajunt, lacrimae! Hinc illud pravum incesti[20]) crimen! Melius sane Plinius

19) Haec quidem sententia Münscheri (Handb. der Chr. Dogmeng. I. p. 213. Marb. 1817.) est, cui in his literis fere palmam deferri constat. Vir doctissimus, nisi fallor, Originem sequitur.

20) Criminationis ipsius duae possunt esse causae, primum ipsa illa quae apud Christianos plerumque fiebant nocturna sacra a Romanorum institutis aliena, vid. Davis. ad Cic. de Legg. 2, 14, 36 sq. p. 270. ed. Creuz., Cort. ad Porc. Latron. Declam. contra Catil. 19. p. 1095., interpp. ad Liv. 39, 8. 14—16., Jacob ad Lucian. Alex. 38. p. 72., Theod. Obbar. ad Prud. Perist. 2, 65., deinde appellatio *fratris* et *sororis* Romana quadam significatione intellecta, de qua dixerunt Burmannus ad Petron. 11. p. 43. Erhard. ibid. 127. p. 607. et quem laudat Ramirez ad Martial. 2, 4. coll. Davis. ad Minuc. Fel. 9. p. 73., interpp. ad Ovid. Met. 9, 558. Illas autem atroces criminationes non demum ex anno 170. Christianis impingi coeptas esse recte docet Credner in N. Jen. Allg. Lit. Zeit. 1844. N. 164. p. 655 sq. aliter sentiente Richardo Rothe in *Commentat. de*

in notissima de Christianis ad Trajanum ao. 109. post Chr. n. missa Epistola 10, 97, 7. Affirmabant autem, hanc fuisse summam vel culpae suae vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi deo, dicere secum invicem, seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent: quibus peractis morem sibi discedendi fuisse rursusque coëundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen et innoxium etc. Melius Lucianus quoque, qui quanquam adunco saepe naso Christianos irridet eorum *ἀγάπας* vocitans (de Mort. Peregr. 12.) *δεῖπνα ποικίλα*, nullum tamen hominibus innoxiis impegit vel potius impingere potuit aut flagitium aut scelus.

Verbis vulgus Christianos appellabat haud scio an Tacitus omnium primus ex exteris scriptoribus, si excipias Josephum (Antiq. Jud. 18, 3, 3.), nomen Christianorum vulgaverit. Hic enim, qui Antiquitates Jud. anno 90 post Chr. nat. edidisse creditur, in celeberrimo illo de Jesu Christo testimonio[21]) praeter alia haecce scripsit: *Εἰς ἔτι νῦν τῶν Χριστιανῶν ἀπὸ τοῦδε ὠνομασμένων οὐκ ἐπέλιπε τὸ φῦλον.* Vereor autem, ne Bretschneider, Vir de literis sacris et ecclesia Evangelica optime meritus, quum hujus loci jam pridem deplosi causam ageret, amphoras in Danaidum dolia effuderit. Rem significasse satis est. Post Tacitum, Plinium (Epist. 10, 97, 1—5. et 98, 1. 2.), Suetonium (Ner. 16.) Christianorum mentionem fecerunt Imperator Adrianus in Epistola ad Minuc. Fundanum missa ap. Justin. Mart. Apol. I. 68. p. 272 ed. Otto, Lucianus de Mort.

---

*disciplinae arcani, quae dicitur, in ecclesia Christiana origine.* Heidelb. 1841. p. 27. Plenius et uberius de universa re disputarunt Christ. Wormius *de veris causis, cur delectatos humanis carnibus et promiscuo concubitu Christianos calumniati sint Ethnici.* Hafn. 1694. et Joh. Huldricus in *Gentil. Obtrectat.* Tig. 1744. c. IV. p. 243 sqq. et c. VIII. p. 300 sqq. Utrique praecessit Christ. Kortholtus Tractatu *de Calumniis* etc. c. XVII. p. 148 et c. XIIX. p. 157 sqq. Hic liber auctior et emendatior a Sebast. Kortholto filio Kilon. 1698. editus est hac inscriptione: *Paganus Obtrectator s. de calumniis Gentilium in veteres Christianos Libri tres.* Sed neque hunc, neque Wormii librum in meis amicorumque scriniis asservari doleo.

21) Bretschneider opinionem suam de Flaviani testimonii *γνησιότητι* triginta duobus abhinc annis prolatam *(Capita theologiae Judaeorum dogmaticae e Flavii Josephi scriptis collecta* etc. Viteberg. 1812. 8.) iterum defendere conatus est in „Relig. Glaubenslehre" §. 42. p. 237—245., sed contra eum nuperrime surrexit Eichstadius, acerrimus literarum antiquarum vindex, qui jam rem per septem libellos academicos diffusam ad justum finem se perduxisse sibi persuaserat, in *Quaestionum sex super Flaviano de Jesu Christo testimonio Auctario secundo et tertio.* Jenae 1844. 4. De loco sincero Chr. Fr. ab Ammon quoque dubitat in „Geschichte des Lebens Jesu" I. p. 122 sq.

Peregrin. 11=13. 16. et in Alexandr. 38., Marc. Antoninus 11, 3. (ib. Gatak. p. 319), Dio Cassius (ad a. 138. post Chr. nat.) 70, 3., (ad a. 174. p. Chr. n.) 71, 9., (ad a. 180. p. Chr. n.) 72, 4., quibuscum conf. Tacit. Ann. 13, 32, 2. (ib. Ryck. et Rupert.), Epictet. Diss. 2, 9, 20. 4, 7, 6. ed. Dübn. Galen. VIII. p. 579. et 651. ed. Kühn., Dio Cass. 67, 14. et 68, 1. ib. Reimar.[22]) Quoniam res tertio saeculo gestas propter fines huic scriptioni constitutos in hunc censum venire nequeunt, excludendus Luciani quoque Philopatris est, de cujus aetate posteriore, ne Niebuhrium commemorem, erudite disputavit Gesner in ed. Lucian. Bipont. IX. p. 561—605. (III. ed. Reiz p. 708 sqq.). Num Dio Cassius Christianos in illa Maecenatis oratione ad Aug. habita 52, 36. tecte significarit, ut quidem opinatur Tzschirner in „Fall des Heidenthums" p. 236., ejus rei fides apud ipsum illius suspicionis auctorem esto. De aliquot aliis Luciani locis confer eundem ibidem p. 320. Sed hic locus sine symbola relinquendus mihi non videtur. Sunt enim et hodie, qui Christianorum nomen,[23]) quod nisi ter in N. T. non legitur, Antiochiae Christi asseclis contumeliae opprobriique causa impositum opinentur. Hoc credat Judaeus Apella, non ego! Ex multis honoris causa duos nomino magni nominis theologos, de Wettium et Crednerum, quorum alter ad Act. Apost. 11, 26. dubius haeret, alter ipsis verbis (N. Jen. Lit. Zeit. 1843. N. 203. p. 821) notam quandam contumeliae vel si mavis ignominiae agnoscit. At con-

---

22) De locis quibusdam dubiis conf. Tzschirner in Opusc. academ. p. 285.; adversariorum quoque locos suppeditat Johannes Kirchhofer in „Quellensammlung zur Geschichte des neutestam. Canons bis auf Hieronymus etc. Zürch, 1844. 3. und letzte Lieferung" p. 329—520. Conf. Chr. Cellarii Dissertat. XIV. p. 299 sqq. in *Diss. academ.* Lips. 1712. Laudatum illum J. A. G. Meyeri librum „Versuch einer Vertheidigung und Erläuterung der Geschichte Jesu und der Apostel, allein aus Griech. und Röm. Profanscribenden" etc. neque vidi, neque, ne mihi ipse in perscrutando frena injicerem, videre volui.

23) Vim nominis interpretantur Justinus M. in Apologia I. 12. p. 162. coll. I. 4. p. 144. ibiq. Otto., Tertullianus adv. Marcion. 4, 14. p. 522. C., Apol. 3. p. 5. A. et ad Nation. 1, 3. p 48. B. *Christianum vero nomen, quantum significatio est, de unctione interpretatur: etiam quum corrupte a vobis Christiani pronuntiamur (nam ne nominis quidem ipsius liquido certi estis), sic quoque de suavitate vel bonitate modulatum est. Detinetis igitur in hominibus innoxiis etiam nomen innoxium nostrum, non incommodum linguae, non auribus asperum, non homini malum, non patriae infestum; sed et Graecum aliis et sonorum et interpretatione jucundum.* Mystica autem est interpretatio de Baptism. 7. p. 258. C. *Exinde egressi de lavacro perunguimur benedicta unctione etc.* Adde Hieronym. ad Psalm. 43. VIII. p. 52. et de nomine Christi in *Chrestum* mutato Bünem. ad Lactant. Inst. 4, 7, 5. Vocabantur neque inhoneste Christiani *pisces* quoque, *ἰχθύες*. De hac *ἰχθύς* significatione vid. Tertull. de Baptism. 1. p. 255. A., Augustin. de Civ. Dei 18, 23., Clem. Alexand. Paedag. 3, 10. p. 243. C. 3, 11. p. 246—47. D. coll. Frid. Althan. in Symb. litt. Dec. sec. VI. p. 198 sq. et Gesn. Isagog. §. 274. I. p. 262. ed. Nicl.

siderate, quaeso, qui fieri potuerit, ut nomen mali ominis tam cito apud ipsos sacros scriptores (Act. Apost. 26, 28. Petr. 1, 4, 16.) honorificum evaderet? Perpendite, velim, qui factum sit, ut ne unus quidem ex patribus Apostolicis rem contumeliosam posteris memoria traderet, sed potius unus et alter[24]) nominis honorem ita praedicaret ut qui maxime? Quid, quod Christiani primaevi omnia extrema pati ipsamque mortem oppetere quam nomen Christianorum Ethnicis invisum repudiare maluerunt! Et quem praeterit, Julianum Apostatam Christianis faces quasi doloris admoturum nihil antiquius habuisse, quam ut eos hoc nomine[25]) uti vetaret? Quae quum ita sint, in eam adducor sententiam, ut nomen Christianorum ab ipsis Christi asseclis in ecclesia secundaria Antiochena (Act. Ap. 11, 26.) Judaeos et Ethnicos a se ipsis distinguendi causa profectum arbitrer. Frustra autem sunt, qui suae opinionis praesidium in terminatione latina[26]) col-

---

24) Ignat. Epist. ad Magnes. 10. p. 139. (ed. Hefele) *Διὰ τοῦτο, μαθηταὶ αὐτοῦ γενόμενοι, μάθωμεν κατὰ Χριστιανισμὸν ζῆν. Ὃς γὰρ ἄλλῳ ὀνόματι καλεῖται πλέον τούτου, οὐκ ἔστιν τοῦ Θεοῦ.* Ibid. 4. p. 135. Epist. ad Roman. 2. p. 153., Epist. ad Ephes. 11. p. 126. 14. p. 128., ad Philipp. 6. p. 163., ad Polycarp. 7. p. 181., Martyr. Ignat. 2. p. 184., Martyr. Polycarp. 3. p. 206. 10. p. 211. 12. p. 213., Anonym. (Justin. Martyr. ? !) Epist. ad Diognet. 1. p. 223. 2. p. 225—26. 4. p. 228. 5. ibid. 6. p. 230. Eandem sententiam sequuntur Patres ecclesiastici, ut Irenaeus adv. Haeres. 3, 12. p. 267. D. (ed. Col. Agripp. 1596). *Quum enim descendissent quidam a Judaea in Antiochiam, in qua et primum omnium discipuli Domini pro fide quam in Christo habebant, vocati sunt Christiani, et suaderent* etc., quocum conf. Francisc. à Messana ad Hieronym. Opp. XI. p. 39. M. et similia aliorum ap. Huldric. in *Gentil. Obtrectatore* p. 510 sqq.

25) Gesner in Diss. de aetate et auctore Philopatrid. annexa Lucian. Opp. IX. p. 599. Bip. et quem laudat Suid. v. *Ναζηραῖος*, ubi is haec refert: *Ἰστέον ὅτι ἐπὶ Κλαυδίου βασιλεύοντος μετωνομάσθησαν οἱ πάλαι λεγόμενοι Ναζηραῖοι καὶ Γαλιλαῖοι Χριστιανοί.* Cf. Suic. Thes. Eccl. II. p. 1538 sq. et de lege a Juliano lata Gregor. Nazianz. Orat. III. quae est invectiva in Julian. 1. p. 81. *Γαλιλαίους ἀντὶ Χριστιανῶν ὀνομάσας* (Julianus) *τε καὶ καλεῖσθαι νομοθετήσας* etc.

26) De nominibus latinis in *tanus* desinentibus disserunt Pabst, Vir doctissimus, in Eclog. Tacit. p. 307, et Reissig in „Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft" §. 109. p. 166. In nomine Christianorum definiendo mediam quasi viam ingreditur Neander („Geschichte der Pflanzung" etc. I. p. 124.), quum Ethnicos Antiochenses omissa ignominiae nota appellationis auctores fuisse opinatur. Assensum Viro summo propterea quoque denego, quod nomen a consortio et quasi communione, quae est inter praeceptorem et discipulos, ortum putat. Tale quid, ut nos dicimus Kantianos, Hegelianos, apud scriptores illius aevi me legere non memini. Quinimmo hoc ipsum, quod quaerimus, nomen aliis quasi dux antesignanus videtur fuisse. A primaria autem horum nominum significatione, qualis in *Catoniano dicto, Lucullianis hortis, Tulliano carcere, Augustianis militibus*, similibus, vel, quod non ita multum differt, in ratione nominum per adoptionem mutatorum, ut Octaviani, cernitur, secundariam partium quas quis sequitur notionem profectam facile persentisces. De illo genere conf. Rupert. ad Tacit. Ann. 11, 1, 1., de hoc Eckhel D. N. V. p. 59. et Beier ad Cic. de Offic. 1, 32, 121. Hinc recte Tertullianus, ne Christiani partium studiosi et rerum novarum cupidi arguerentur, ad Scapulam 2. p. 85. D.: *Sic et circa majestatem imperatoris infamamur. Tamen nunquam Albiniani, nec Nigriani, vel Cassiani inveniri potuerunt Christiani.* id. ad Nation 1, 4. p. 48. C.:

locatum vident. Etenim nomen partium, ut Caesarianorum, Pompeianorum aliorumque in consuetudinem graecae quoque linguae tum abierat, uti ex Herodianorum nomine (de Wette ad Matth. 22, 17.) facile intelligitur. Qui Apostolum Paulum nobis opponunt nunquam nomine pervulgato usum, ne ii, si rem accuratius spectaveris, nos de nostra sententia dejiciant, non veremur. Sed haec res tam ampla est, ut his disputatiunculae angustiis perstringi nequeat; transeamus igitur ad cetera!

Repressaque exitiabilis superstitio rursus erumpebat — — confluunt celebranturque.[27]) Cujus loci insigne momentum duabus rebus cernitur. Primum cognatio Christianismi et Judaismi atque consanguinitas quaedam, quam quidem sibi Tacitus finxit, legentibus ipsa se offert. Haec observatio quamvis inanis videatur et levis, non tamen sine momentis rerum est, quas infra sub adspectum subjicere in animo habemus. Deinde in censum venit illa exitiabilis superstitio, cujus gravissimus rerum Romanarum auctor Christianos coarguere non dubitavit. Eadem sententia Pomponia Graecina insignis illa femina Plautio nupta superstitionis externae rea 13, 32, 2. dicitur, in quo loco notam religionis Christianae a Paulo Apostolo anno superiore (i. e. ao. 56. post Chr. nat.) non inepte vidit Ryckius. De Paulo Apostolo Romae illo quidem tempore versato dubitandum videtur, de religione Christiana non item. Cum Tacito consentiunt Suetonius et Plinius junior, quorum alter (Ner. 16.) Christianos, genus hominum superstitionis novae ac maleficae

---

*sectam de appellatione auctoris notari, utique probum usitatumque jus est: dum philosophi quoque de auctoribus cognominentur, Pythagorici et Platonici, ut medici Erasistratei et grammatici Aristarchii.* Clemens Alexandrin. Stromat. II. p. 366. D. ὡς γὰρ οἱ σοφοὶ σοφίᾳ εἰσὶ σοφοὶ καὶ οἱ νόμιμοι νόμῳ νόμιμοι· οὕτως οἱ Χριστῷ βασιλεῖ βασιλεῖς καὶ οἱ Χριστοῦ Χριστιανοί. In alterutram autem partem peccare videntur Fr. Henr. Kern et C. A. Credner, quum alter in Epist. Jacobi 2, 7. Christianorum nomen, alter Ebionitarum i. e. pauperum coll. Act. Apost. 11, 26., Epist. ad Galat. 2, 10., ad Corinth. 1, 16, 1., ad Roman. 15, 26. tecte significatum sentit. Intellige nomen Χριστοῦ et omnia, si comparaveris Act. Apost. 2, 41. 19, 5., ad Roman. 6, 3., ad Galat. 3, 27., luce clariora erunt. Kernio („Der Brief Jacobi untersucht und erklärt" — Tübing. 1838) praeiverunt Tob. Eckardus in *Non-Christianorum de Christo Testimon* (Quedlinb. 1736.) p. 15 sqq. et Joh. Jac. Huldricus in *Gentili Obtrectat.* p. 510. Praeterea notatu digna singularis quaedam forma est apud Ephraemium (Collect. Vatican. III. p. 7. ed. Mai.), a quo v. 17. Valerianus vocatur βαρὺς διώκτης εὐσεβῶν Χριστωνύμων. Sed conf. Herodian. Partition. p. 203. ed. Boissonade.

27) Qui particulam *que* sive verbis sive nominibus annexam in fine enuntiationis poni vetant, in alteram partem hic habent exemplum. Sic et 2, 2. *haberi darique;* 2, 65. *concederent acciperentque;* 2, 88. *vetuerant prodiderantque;* Liv. 21, 5, 4. *expugnat diripitque;* 23, 15, 5. *Nolam Neapolimque.* De hac re disputarunt Reissig in „Vorlesung über lat. Sprachw." §. 233. p. 414. et Nauke in Seebod. et Jahn. „Archiv f. Philol. u. Paedagogik." 1841. VII. 3. p. 466 sq.

dicit (de verbo maleficae vid. Bremium ad illum loc.), alter (Ep. 10, 97, 8.) in duabus ancillis, quae ministrae dictae sint, per tormenta de ipsarum religione quaesitis nihil aliud quam superstitionem pravam et immodicam se invenisse testatur. Sic illa Diocletiano posita sive ficta inscr. ap. Gruter. 280, 4. Superstitione Christ. Ubique Deleta Et Cultu Deor. Propagata. Similis est, sed spuria, quae ad hanc ipsam Christianorum Nerone auctore vexationem pertinet ibid. 258, 9. et ap. Orell. nr. 730. — — Novam Generi Human. Superstition. Inculcab. Purgatam. Ita Christianis ap. Minuc. Felic. 9, 2. (ibi Herald. in ed. Ouzel) vana et demens superstitio vitio datur. Cum his conferenda sunt quae similiter a Tacito (Hist. 5, 5.) et a Quintiliano (Inst. 3, 7, 21.) in Judaeorum religionem institutaque dicuntur. Si Cicerone interprete (N. D. 1, 42, 117.) superstitio timor inanis deorum est vel Seneca auctore (Ep. 123.) error insanus, qui amandos timet, quos colit violat (coll. Serv. ad Virg. Aen. 8, 187), illud Pauli ad Corinth. 1, 1, 23. *Ἡμεῖς δὲ κηρύσσομεν Χριστὸν ἐσταυρωμένον, Ἰουδαίοις μὲν σκάνδαλον, ἔθνεσι δὲ μωρίαν* facile intelligitur. Quamvis quas res in hac superstitione posuerit scriptor profanus definire nequeamus, tamen illa magnam partem eas criminationes, quas Kortholtus et Huldricus suis libris plenius persecuti sunt, contineri existimaverim. Quum eorundem fontibus nostros hortulos irrigare in animo non sit, hoc unum addere libet, quod a talium rerum existimatoribus parum observatum dolemus. Est illa Christianorum laeta religionis causa omnia extrema ipsamque mortem patiendi ac perferendi promptitudo, quae Tacito, qui hos Annalium libros ineunte saeculo secundo composuit, esse non potuit ignota. Quo jure ea ad illam superstitionem referatur, in promptu est. Praeter ceteros rem illam temporum quidem ratione habita hi loci testantur: Justin. Martyr Apol. II. 12. p. 505. A. B., Tertull. Apol. 8. p. 9. D. 37. p. 33. D., ad Scapul. 1. et 4. p. 85 sq., ad Nation. 1, 18. p. 62. B., ad Martyr. p. 155 sqq., Minuc. Fel. Octav. 12, 4., Arnob. adv. Gent. 2, 77., Lactant. Inst. 5, 13, 12. 17, 24., Epitom. 6, 1—5., de Mort. persec. 11, 3. (ib. Bünem.). Cum Christianis scriptoribus profani consentiunt: Plin. Epist. 10, 97, 3. 4., Epictet. Diss. 4, 7, 6., M. Antonin. 11, 3. (ib. Gatak. p. 319.), Lucian. de Mort. Peregrin. 13. (ib. Solan. p. 552. Bip.), Galen. VIII. p. 651. ed. Kühn. et Tiberianus, procurator Palaestinae in Epist. ad Trajan. missa ap. Kestner in „Agape" (Jen. 1819.) p. 143. coll. p. 139. et „Zugabe" p. 71. N. 105., Tzschirner in „Fall des Heidenthums" p. 307.; similia suppeditat Huldricus l. l. p. 335—339.

Sed ut ad propositum revertamur, propter novam religionem eamque superstitionis vel insulsitatis plenam Lucianus de Mort. Peregr. 13. Christum *σοφιστὴν* vocat; idem ibid. 11. (VIII. p. 278. Bip.) *τὴν θαυμαστὴν σοφίαν τῶν Χριστιανῶν ἐξέμαθε, περὶ τὴν Παλαιστίνην τοῖς ἱερεῦσι καὶ γραμματεῦσιν αὐτῶν ξυγγενόμενος.* Similiter auctor Philopatr. 2. (IX. p. 239.) Christianos voce *τῶν σοφιστῶν* notat uti Asclepiades Syriae praefectus ap. Prudent. Perist. 10, 404. Quis hos Sophistas error invexit novus, Qui non colendos esse divos disputent? Acerbe etiam Christiani de ultima faece collecti imperitiores etc. ap. Minuc. Fel. 8. p. 71. ib. Herald. et Elmenh., profani homines teste Lactantio (Inst. 4, 27, 5.) audiunt itemque religionis novae rei ap. Arnob. 1, 25., 2, 66. 67. 71., hebetes, stolidi et fatui 1, 28., 2, 5. 13. 34., 3, 15., infausti et athei 1, 29. 37., 3, 28. Alia similia vide in Indice rerum ed. Hildebrand. p. 604., apud Huldricum p. 418—427. p. 432—447., ap. Aug. Kestner in „Agape" p. 418 sqq. coll. p. 143 seqq. 505 sq., ap. Tzschirner in „Fall des Heidenthums" p. 236. Idem quum verba illa per urbem — confluunt celebranturque ad cultum peregrinorum deorum coll. Juven. 6, 506 —555. non incommode refert (l. l. p. 75.), equidem ei non repugnaverim, qui illa latius patere dixerit. Vide Cort. et Herzog ad Sall. Cat. 37, 4. Quos autem mira mirari juvat, iis proponenda Dodwelli absurda explicatio est, qua ille (Diss. Cyprian. XI. de Paucitate Martyr. §. XIII. p. 232.) verba Repressaque — erumpebat de ipsis Neronis temporibus, non de Tiberii praeteritis dici existimat. At viro eruditissimo non contigit, ut contra torrentem brachia moveret. Quapropter, ne quis mihi *γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας* acclamet, verbum non addam. Jam veniamus ad eum locum, de quo paene omnis hic institutus est sermo.

Igitur primo correpti — haud perinde in crimine incendii quam odio humani generis convicti sunt. In verbis qui fatebantur ne quis haereat, intelligendum: se Christianos esse, ut sententia sit, „et eos, qui se Christianos reapse fassi et eos, qui ab illis indicati essent, i. e. ingentem indicatorum numerum, non tam incendii quam odii adversus genus humanum reos sontes esse deprehensos." Hanc interpretationem usu fere receptam ita impugnavit Zyro, clarissimus theologus Bernensis, ut non tam novam excogitaverit, quam veterem i. e. ab uno et altero propositam novis argumentis expoliverit. Est igitur ea: „sie wurden nicht so sehr der Brandstiftung überwiesen, als vielmehr durch den allgemeinen Hass, der auf ihnen lag, als Brandstifter verurtheilt."[28])

28) Legitur in „Archiv f. Philol. u. Paedagogik. Herausgegeben von Seebode, Jahn u. Klotz."

At quum Vir d. interpretationem vulgatam et legibus linguae et vitae usu edoctae adversari contendit, verendum est, ne, quum se alios confecisse putat, se ipsum eodem mucrone transfixerit. Etsi ista explicatio jam in fine i. e. in verbo convicti sunt claudicat, nolumus tamen eam rem, quae a figura zeugmatis (cujus exempla vide ap. Bötticher in Lex. Tacit. p. LXXIX) quandam excusationem habet, in crimen adducere. At nemo erit, qui non quaerat, quomodo Tacitus eos, qui in ista calamitate perierunt, sontes et novissima exempla meritos infra dicere potuerit, si hic non incendio neque alio crimine convictos, sed ex solo humani generis in ipsos odio damnatos affirmaverit. Ad hoc aenigma solvendum Oedipo conjectore opus videtur; sed hunc opinionis errorem sua jam ferula castigavit idque optimo jure doctissimus Gruner. At bis errat Zyro, V. d., quum convinci solum cum Ablativo causae vel instrumenti componi ait, cum Ablativo objecti negat.[29]) Concedamus, incertam esse structuram in loco Germ. 12. levioribus delictis — convicti multantur (ubi conf. Hess et Gruber), at ea extra omnem dubitationem posita est ap. Sueton. Ner. 31. scelere convictos non nisi ad opus damnari. Sed leve hoc, majus est, quod Vir doctissimus praepositionem in ante voc. odio repetendam esse

---

Leipz. 1840. VI. 2. p. 166—170., eadem interpretatione proxime praeivit J. G. E. Mess (nunc Pastor apud Treppendorfienses) ibid. 1836. IV. 1. p. 80 sqq., pauca attigit Wendel ibid. 1837. IV. 2. p. 319 sqq., plenius et uberius de omni re servata interpretatione vulgari olim disputarunt Chr. Andr. Teuber in *Exercitat. Historico-Critica de Martyribus Christianis Odio Humani Generis Convictis* etc. Brunsuig. 1734. 8. et Jo. Fr. Gruner in *Exercitatt. Historicis Tribus de Odio Humani Generis Christianis Olim a Romanis Objecto* etc. Coburg. 1755. 8. Utriusque mentio fit ab Jo. Ge. Walchio in Bibliotheca Patristica ed J. T. L. Danz. Jen. 1834. p. 581. Gruneri scriptio tabulae censoriae inscripta est in „Neuen Beiträgen von alten und neuen Theologischen Sachen auf das Jahr 1756. St. 4." p. 535—38., Teuberi explicationem non approbans refert Gruner in Praefatione. Vulgo autem comma, quod *Doederlinio* praeeunte perspicuitatis causa post *ingens* posuimus, omittitur.

29) Ac ne adversarii sententiam in deteriorem partem detorquere videar, ipsius suo loco ponentur verba. Is p. 166. „Dass man auf jene von uns verworfene Erklärung kam und den Genitiv passiv, das odium activ fasste, ist leicht begreiflich, wenn man das erste Glied der Vergleichung ins Auge fasst. Da ist nämlich der Grund und Gegenstand der Verurtheilung angegeben, und dieser ist eine Handlung (folglich ein *activum*), welche den Christen zugeschrieben wurde — sie sollten die Brandstifter gewesen sein. Wie leicht konnte nun geschehen, dass man im zweiten Gliede des Parallelismus wegen ebenfalls ein *activum* suchte, besonders wenn man *odio* falsch verstand und gleich odii, folglich parallel mit in crimine fasste. In solcher Auffassung mögen vielleicht manche durch Vergleichung von Histor. 5, 5. bestärkt worden seyn, wo Tacitus die Juden, die er freilich meist ganz irrig beurtheilt, und mit denen damals die Christen oft verwechselt worden zu seyn scheinen, einen „tödtlichen Hass gegen alle Nichtjuden" zuschreibt. So aber kann nun freilich unsre Stelle weder historisch, noch grammatisch erklärt werden. Grammatisch nicht weil *convinci* unsers Wissens nicht mit dem *Ablativus objecti*, sondern *causae* oder *instrumenti* construirt wird."

non vidit. Quum res ipsis tironibus nota sit, nisi duo non afferam exempla: Nep. Themist. 1. Themistocles non minus in rebus gerendis promptus quam excogitandis erat. Cic. Ep. ad Qu. Fratr. 1, 4, 5. quoniam in tantum luctum et laborem detrusus es, quantum nemo unquam. Alia ex Tacito allata exempla vide ap. Walch ad Tac. Agric. 35., Rupert. ad Ann. 6, 51. Qua rerum conditione Praepositio in enuntiatione bis ponenda secundo loco omittatur, dixerunt multi ut Wopkens Lectt. Tull. 1. p. 6. ed. Hand, Goerenz ad Cic. de Legg. 3, 15, 33., Beier ad Cic. Lael. 9, 32. p. 54., Fabri ad Liv. 22, 8, 3., Hand in Turs. III. p. 354. nr. 4., Otto in Excurs. VIII. ad Cic. de Fin. p. 402 seqq., Ramsh. Gr. lat. §. 151. 2. p. 472., Haase ad Reisigii „Vorlesungg. über latein. Sprachwissenschaft" nr. 575. p. 737.

Eadem attractionis consuetudo apud Graecos, conf. Matth. Gramm. gr. ampl. §. 595. c. p. 1401. ed. 3., Kühner, Gr. gr. ampl. §. 625. 6. p. 321. De constructione autem in aliqua re convinci, a qua ne Cicero quidem abstinuit (pr. Sull. 30, 83. de Invent. 2, 10, 32.), conf. Böttich. Lexic. Tacit. s. v. p. 131., Walther et Ruperti ad Tacit. Ann. 11, 2, 1. et Bremi ad Suet. Claud. 14. p. 444. Quam non parcus sit Tacitus talium enuntiationum cum Praepositionibus compositarum sollerter edocet Roth in Exc. XII. ad Tacit. Agric. p. 158. Quae quum ita sint, facile largimur re integra Viro optimo suam explicationem: „In crimine erklären wir als Bezeichnung des Gebietes überhaupt, in welchem sich diese ganze Anklage bewegte: in Sachen des Verbrechens der Brandstiftung, oder (nicht nach dem Geschäftsstile): in Beziehung auf das Verbrechen. Nämlich so: sie wurden in Betreff des Verbrechens der Brandstiftung weniger durch Zeugen und Thatsachen der Schuld überwiesen, als vielmehr nur aus allgemeinem Hasse und, um dieser feindseeligen öffentlichen Meinung zu genügen, verurtheilt" (?!); largimur etiam Walthero et Bachio suam scripturam haud proinde, modone ille odio pro ob odium accepisset, qua quidem re totius enuntiati infringitur vis et concinnitas. Sed formulam haud perinde non esse sollicitandam satis evincitur e Böttícheri Lexico Tac. p. 352. Quodsi idem theologus Bernensis suam sententiam auctore Messio aliquot exemplis Genitivorum subjecti ex Justino (11, 3.) et Plauto (Rud. 2, 2, 12. 13. Bacch. 4, 7, 22—24. Mil. glor. 3, 3, 48.) allatis pugnacissime defendit, iis rem suam probabiliorem reddi pertinaciter negamus alia in alteram partem allaturi ut Senec. de Tranq. an. 15. Occupat enim nonnunquam odium generis humani; Cic. Tusc. 4, 11, 25. odium mulierum, quale in μισογύνῃ Attilii est.

Id. Phil. 5, 14, 48.; Sall. Jug. 40, 3. magis odio nobilitatis quam cura reipublicae. Justin. 1, 5, 7. Harpagus — odium regis in vindictae occasionem distulit. Conf. Virg. Aen. 1, 361., Senec. Octav. 131. Et si quis forte dicat, quod contra dicere potuisset humanissimus Zyro, cur Tacitus non aeque hic adversus h. g. atque Hist. 5, 5. adversus omnes alios hostile odium de Judaeis dixerit, facile erit responsum a concinnitate enuntiationis petitum. Ob eandem enim causam idem scriptor dictionem usitatam in vulgus immutavit in Hist. 1, 46. ne vulgi largitione centurionum animos averteret; quid rei esset, bene sensit Roth, V. d., ad Tac. Agric. p. 158. At piget, in tot tantisque nugis, quas quidem vocant inertes talium rerum osores, diutius immorari; quare transgrediamur ad rem in facto positam! Quam si in aequa, ut par erat, trutina imponere voluisset Vir d., neque in hoc commentum, id quod quovis pignore contenderim, incidisset, neque in explicando odio Judaeorum et Christianorum parum sibi constitisset. Addit enim idem p. 168: „Aber auch historisch kann die Stelle nicht anders verstanden werden, ganz einfach aus dem Grunde, weil eine Behauptung schlechtweg nicht erwiesen und unterstützt werden könnte.[30]) Nirgends kann den Christen ein solcher Hass nachgewiesen werden, wohl aber überall das Gegentheil, sowohl ihre Liebe und Geduld, als ihre Leiden von den Feinden des Christenthums. Wenn historisch von einem odium, das den Christen zur Last zu legen ist, gesprochen werden soll, so ist es einerseits ihre temporäre Verfolgung der Juden, anderseits das berüchtigte odium theologicum, das wir, Gott sei gedankt, zu den vergangnen Zeiten rechnen können, aber Beides bleibt etwas ganz Partielles. Ein odium generis humani einer ganzen grossen Gesellschaft nachsagen, ist Unsinn und Unding — Misanthropen finden sich nur einzeln.“ At si odium gen. hum. nihil est, quomodo Tacitus odium hostile adversus omnes alios in Judaeos conferre potuit? Similiter iidem πάντων ἐθνῶν μισάνθρωποι apud Phot. in Biblioth. p. 1150 vocantur. Conf. et Wernsdorfium ad Rutil. Itin. 1, 384. Sed Vir eruditissimus in eo maxime lapsus est, quod Tacitum Christianos pro Judaeorum secta aut propagine habuisse aut non vidit aut videre noluit. Illam

30) Hinc usu venit poetae illud: „Ihr werdet ihn schuldig machen, weil Ihr ihn schuldig finden wollt.“ Nostra qnoque aetate sunt, qui famam hominum proborum coram viris principibus venenata lingua (quae quo certius feriat, eo dulcius susurrat) vel adspergant, vel dente Theonino arrodant, aut quia obscure iniqui aliorum commoda obliquis oculis limant, aut quia versipelles et in vita versatiles eos oderunt, qui parum callidi et usu vitae expoliti ipsorum fugiunt usum et familiaritatem. Ac ne in parergo versemur, alias pluribus!

utriusque sectae confusionem significavimus aliquoties; quoniam autem non ii sumus, qui gloriolam quaeramus in mustaceo, alios[31]) complures idem observasse ingenue fatemur. De Tacito quidem addendum videtur, eum ex isto opinionis errore judicium de Judaeis ante factum literisque prius (Hist. 5, 5.) mandatum hic, quia Christianos a Judaeis profectos crediderit, paulo immutatis verbis repetisse. Christiani enim quum primis quidem temporibus tanquam novella secta antiquissimis Judaeorum instrumentis suffulta quasi sub umbraculo insignissimae religionis, certe licitae (Tertull. Apol. 21. p. 20. C.) degerent, fieri non potuit, quin iidem in easdem, quas Ethnici Judaeis imputabant, criminationes incurrerent, cujus rei insigne habemus exemplum, ut caput asininum, quod ut a Judaeis, ita a Christianis coli dicebatur. Conf. Tac. Hist. 5, 4. (ib. Pabst p. 285), Minuc. Fel. Octav. 9, 4. ib. Ouzel et Lindner (Excurs. II), Tertull. l. l. 16. p. 17. C.[32]). Alia reperies similia, si Plin. Epist. 10, 97. cum Minucio Fel. in Octav. 8—13. comparaveris. Quid, quod Ethnici eo ignorantiae progressi sunt, ut Christianos atheismi insimularent. Vid. Dio Cass. 67, 14., Lucian. Alex. 46. (ib. Jacob p. 87.), Justin. Mart. Apol. I. 6. coll. Jo. Lobeg. Ferd. Lange in Chr. F. Illgenii „Histor. theolog. Abhdll. II. p. 127 sqq. et Tzschirner in „Fall d. Heidenth." p. 298. Rebus ita comparatis cui dubium potest esse, quin Christianis, qui cane et angui pejus omnia Ethnicorum fugerent instituta et commercia, odium generis humani crimini sit datum? Si ipsi theologo Bernensi Genitivus ille subjecti paulo durior visus est[33]), haud scio an

---

31) Tzschirner et in Opusc. academ. p. 299 sqq. et in „Fall des Heidenthums" p. 297., Gieseler in „Lehrbuch der Kirchengeschichte" I. §. 28. p. 93., qui ibi N. a. laudat J. G. Kraftii Proluss. II. *de nascente Christi ecclesia sectae judaicae nomine tuta.* Erlang. 1771 – 72. et J. H. Ph. Seidenstückeri Diss. *de Christianis ad Traianum usque a Caesaribus et senatu Romano pro cultoribus religionis Mosaicae semper habitis.* Helmstad. 1790.

32) Nescio autem, num huc faciat Alexandri Severi nummus, in cujus adversa parte asinus cum pullo et scorpione, quibus haec epigraphe addita est: DN. IHV. XPS. DEI. FILIUS. Sed quum de auctore nummi dubitetur, incertum quoque est, num ille in laudem an vituperationem Christianorum signatus sit. De ea re disputarunt Victorius et Paciaudi, quorum disputationes recenset J. G. Reuter in libro: „Albansgulden." Mainz 1790. p. 235 sq., ubi etiam p. 210. effigiem habes. De ipsa cultus asinini calumnia multorum scripta collegit Jo. Ge. Walch in Bibl. patrist. ed. Danz. p. 580.

33) Is p. 167: „Man möchte vielleicht denken, in diesem Falle hätte Tacitus richtiger geschrieben: *odio communi* oder *odio hominum*, weil man nicht begreifen könne, wie zu einer solchen Verurtheilung wegen rein rationalen Anschuldigungen das odium generis humani nöthig gewesen sey. Freilich! aber dies wäre zu schwach gewesen, um dasjenige auszudrücken, was Tac. hier im Sinne hatte; vergl. superstitio exitiabilis und Plin. Epist. 10, 97. Dazu kommt, dass dem Römer, dessen Reich ja der „orbis terrarum" umfasste, das genus humanum und das imperium Romanorum identisch gelten konnten. Oder man könnte sogar wollen: humanum genus sey ein abstracter Begriff und sey natürlicher, ein

plane eum fugerit ipsum illud patrum ecclesiasticorum testimonium, quo ii hoc humani generis odium quavis data occasione a se suisque amoliri student. Placet igitur ad vulgatam interpretationem sua ipsius luce veritatis illustrandam aliquot insignes proponere locos ex Tertulliano haustos. Is ad Nation. 1, 17. p. 61. D.: Hostes populi nuncupamur. Ejusd. Apol. 37. p. 34. A.: Porro nec tanti praesidii compensationem cogitantes non modo non molestum vobis genus, verum etiam necessarium, hostes judicare maluistis, qui sumus plane, non generis humani tamen, sed potius erroris. Ibid. 2. p. 4. A. Christianum hominem omnium scelerum reum, deorum, imperatorum, legum, morum, naturae totius inimicum existimas, et cogis negare ut absolvas, quem non poteris absolvere nisi negaverit. A Tertulliano, qui Tacitum mendaciorum loquacissimum vocat, non abhorrent Arnobius et Lactantius, quorum ille I. p. 14 ed. Lugd. Bat.: Nondum est locus, ut explicemus omnes isti, qui nos damnant, qui sint, vel unde sint; quantum possint vel noverint; cur ad Christi paveant mentionem; discipulos cur ejus inimicos habeant et invisos: quod tamen humanum pollicentibus sensum una pariter definitione figamus etc. et hic de Mort. persec. 11, 6 — 14, 2. Prudent. Perist. 10, 423. quod hostem publicum Pati necesse est, solve poenam sanguine.

Restat, ut, quoniam Zyro, adversarius eruditissimus, quid e Genitivo passive sumpto extricaret, nescivit, nostram sententiam qualemcunque subjiciamus. Locus autem pro obscurissimo a plerisque habitus, quo accuratius similem in Hist. 5, 4. 5. contuleris, eo facilior erit explicatu. Significantur enim illo odio hum. gen. Ethnicorum, imprimis Romanorum, mores, ritus, instituta, quae quidem Christianis a praeceptis summi magistri discrepare sunt visa. Intellige igitur cultum deorum Christianis invisum, intellige fugam templorum sacrificiorumque, intellige abstinentiam a spectaculis, conviviis omnique genere voluptatum a populo praesertim Romano in deliciis habitarum. Exemplorum messis apud Minucium Fel. et Tertullianum est. Hinc illa vox parum honorifica (Minuc. Fel. Octav. 8, 4): Latebrosa et lucifuga natio, in publicum muta, in angulis gar-

---

*odium gegen die Menschheit*, als *von* der Menschheit zu denken, weil in dem ersten Fall das menschliche *Wesen* gehasst werde, was im letztern nicht möglich sey. Allein das Abstractum (humanum genus) bezeichnet das Allgemeine, und ist hier soweit ganz passend als Verstärkung des Hasses, dessen Gegenstand die Christen waren. Tacitus will sagen: „diese Secte war von Allem, was Mensch heisst, d. h. wo man sie kennen lernte, verabscheut.“

rula etc. Conf. Tertull. de Idololatr. p. 104 sqq. Arnob. 1, 1. Ut uno defungar exemplo, spectacula, quibus multitudini nihil prius erat et carius quaeque vulgus rumore secundo ad coelum ferebat, adeo Christiani fugerunt, ut, si auctori Constitutionum Apostolicarum 8, 38. fides habenda est, histriones ab ipso baptismo arcerent. Conf. Tertull. de Spectac. 22., Apol. 6. 38., Lactant. Inst. 6, 20. et Dominici Georgi Discept. de Locatoribus Scenicorum in Symb. litterar. II. p. 141 — 143. Florent. 1748. Quid igitur mirum, si Tacitus, qui hominem non sibi soli, sed toti mundo natum sibi persuaserat, eos, qui pertinacius sua se virtute involvere visi essent, pro osoribus generis humani habuit? Quid mirum, si Tacitus eos, quos res humanas spernere (neque de philosophorum sententia) et coelestia affectare et aliorum ab ipsis spretorum negotia a se aliena putare novisset, sontes et novissima exempla meritos dixit? Quid in Taciti ipsius morositatem, quid in illius aetatis ingenium cadat, quaerere non attinet, quum verum per se, non veritatis subtilitas quaeratur. At quicquid est, hac ipsa re refellitur Caes. Baronius (Annal. eccles. ad ann. 66. n. VI. I. p. 634. ed. Antwerp.), quum Tacitum flagrantis in Christianos odii accusat, quod, licet tam sua ipsius sententia, quam totius populi opinione Nero habitus esset auctor incendii, nihilominus sontes Christianos appellaverit. Neque qui aures teretes habet, eas praebebit Moshemio (Institt. hist. Christ. antiq. I. p. 62. §. VI), qui odio gen. hum. aeternas poenas intelligit, quas Christiani hominibus veterem gentilium superstionem servantibus annuntiarint. Ei assentitur Jo. Sam. Müller ad h. l. Neque equidem prorsus approbare possum Gruneri sententiam, qua (l. l. p. 19 sq. odio gen. hum. Christianorum hostilem in Romanos et eorum rempublicam animum sentit significatum, de v. gen. human. laudatis his locis: Hist. 1,30,4., Suet. Galb. 9. Calig. 13., Flor. 4,2., Ael. Lamprid. in Alex. Sev. 1., Jul. Capitolin. in Maxim. et Balbin. 17., Aurel. Vict. Epit. 14, 8., Lactant. de Mort. persec. 31, 3., Eutrop. 8, 7. At cur a significatione usitata, qualis est apud Senec. de Tranq. 15. et Liv. 21, 30, 7., discedendum sit, non video, dummodo illa ad eos terminos, quos supra posuimus, referatur.[34]) Eadem paene chorda oberravit Chr. Andr. Teuber, cujus verba (§. VI. p. 31.) cum lectoribus suis communicavit Gruner (praefat.): „Ita statuo," ut ait, „martyres

---

34) De vario v. *odium* usu dixi ad Horat. Epist. 1, 11, 6. p. 101. et 13, 4. 5. p. 172. Tom. II. In sententiam commode Münscher (Handb. d. Christl. Dogmengesch. I. p. 216. ed. 3.) hujus loci non immemor: „Die Ursache möchte vorzüglich darin liegen, dass die Christen allen nähern Umgang und alle gemeinschaftliche Gastmahle mit den Heiden vermieden, um nicht dabei an den gewöhnlichen abgöttischen Ceremonien theil zu nehmen."

Christianos, neque odio generis humani, neque odii generis humani, Tacito auctore, fuisse convictos, sed potius ipsius Christiani nominis, quod ipsum in judicio Romano, ubi de dolo qua tali, ne quaerebatur quidem, pro delicto habebatur. Convictos autem esse primo eos, qui fatebantar, scilicet ipsa propria confessione, deinde ingentem multitudinem, eorum indicio; ideoque non mero judicum odio. Et licet innocentes fuerint in crimine incendii, quod ipsis imputabatur, Tacito tamen ipso facto reos visos fuisse odii humani generis, quod ipse eum religione Christiana more idolotatrarum imperite confundebat ob dogmata et mores Christianorum, quae tale odium spirare videbantur.“ Cui harum explicationum palma sit danda, ii videant, qui cucurbitas non lippiunt; nos quidem actum habentes, quod suo quisque modo egerunt, quae reliqua sunt strictim attingamus.

Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur etc. Haec verba paene sua fecit Sulpicius Severus 2, 19 (41.), respexit Orosius 7, 7., in singula dilucide commentati sunt Pabstius, Rupertius, Doederlinius una cum Heinrichio ad Juv. 8, 235., ut qui plura addat ligna in silvam ferre videatur.[35]) Quod autem, quanquam atrox facinus in homines insontes commissum proxime in Neronem tanquam auctorem cadit (Lactant. de Mort. persec. 2. p. 1375), populi hostile in Christianos odium jam gliscere videmus, ne is quidem mirabitur, qui, quam liberi Romani in admittendis recipiendisque religionibus

35) De verborum scriptura non omnes consentiunt. Bötticher legendum censet: *aut crucibus affixi et flammae destinati, ubi defecisset dies* etc. Is totum locum in patrium sermonem ita vertit: „Zuerst also wurden solche ergriffen, welche bekannten, alsdann auf deren Anzeige eine ungeheure Menge nicht sowohl der Brandstiftung als des allgemeinen Menschenhasses überwiesen, und bei ihrem Tode auch noch Spott mit ihnen getrieben, dass sie, bedeckt mit Fellen wilder Thiere, zerrissen von den Hunden sterben oder an Kreuze geheftet und zum Feuertode bestimmt, wenn sich der Tag geneigt, zur nächtlichen Beleuchtung sich verbrennen lassen musten;“ contra H. Gutmann: *aut flammandi* „oder mit Pech überzogen.“ G. Bezzenberger in Prog. Dresdensi *Philologis Germaniae congressis Dresdae m. Octobri a.* MDCCCXLIV. oblato locum ita constituendum arbitratur (p. 39.): *Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flamma nudi, atque ubi defecisset dies in usum nocturni luminis, urerentur; hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat.* Contra Doederlein servata vulgari scriptura tantum copulam *atque*, quam Ernesti delendam censuerat, transponendam hoc ordine putat: *atque hortos suos . . Nero obtulerat.* Istas conjecturas neque approbaverim neque repudiaverim; cui quidem intermissioni facile veniam dabunt Viri humanissimi, si contra dicendi non tam mihi animum, quam tempus defuisse ingenue fassus ero.

peregrinis alio tempore fuerint, haud ignorat. Etenim illa peregrinam quandam religionem profitendi conditione certis legibus adstricta homines Christiani longe aliam sentiendi agendique rationem non tam tacitis votis expetentes quam palam suadentes metiendi esse atque contineri posse jam non sunt visi.[36]) Hinc omne cruciatuum genus in homines *ἁγίους* exercitum, sed ab iis fortiter perlatum. Quae quidem appellatio,[37]) qua a Paulo apostolo homines novam religionem professi fere insigniebantur, iis non modo — ne alia, quae manu tenentur, commemorem — animum, verum etiam animos saepe fecisse videtur. Jam inde ab eo tempore Christianos fortunae adversae fluctibus subinde immersos videmus. Hic enim Nero quomodo aliis deinceps subsequentibus signum quasi cruciatuum Christianis infligendorum dederit, nemo non perspicit. Et pagani qui posthac vocabantur iique avitae religionis tenacissimi ad commune incendium restinguendum accurrerunt paratissimi, veri Dei cultores aut opprobriis laceraturi, aut vulneribus morteque affecturi. Hinc illa vox apud Ignatium in Epist. ad Rom. 5. (p. 155.): *Πῦρ καὶ σταυρός, θηρίων τε συστάσεις, ἀνατομαί, διαιρέσεις, σκορπισμοὶ ὀστέων, συγκοπὴ μελῶν, ἀλησμοὶ ὅλου τοῦ σώματος, κακαὶ κολάσεις τοῦ διαβόλου ἐπ᾽ ἐμὲ ἐρχέσθωσαν· μόνον ἵνα Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐπιτύχω*, apud Tertullianum in Apolog. 30. p. 30. C.: Sic ita nos ad Deum expansos ungulae fodiant, cruces suspendant, ignes lambant, gladii guttura detruncent, bestiae insiliant, paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis Christiani. Ibid. 50. p. 44. C.: Licet nunc sarmenticios et semaxios appelletis, quia ad stipitem dimidii axis revincti sarmentorum ambitu exurimur; apud Prudent. Perist. 3, 116.: Aut gladio feriere caput, Aut laniabere membra feris, Aut facibus data fumificis Flebiliterque ululanda tuis In cineres resoluta flues, ubi novissimus editor locum Tacit. comparat. Praeterea conf. Bünemannum ad

---

36) Jo. Stiglitzii Dissert. de Serv. Poen. S. Pauli Apostoli in Symbol. litterar. Dec. II. Vol. IX. p. 86., Ambrosch in „Studien und Andeutungen im Gebiete des altröm. Bodens und Cultus." Bresl. 1839. p. 178., Tzschirner in „Fall des Heidenthums" p. 48 sqq. et 74 sq., Ruperti ad Tac. Ann. 2, 85, 2., quibuscum conf. Neander in „Kirchengeschichte" I. p. 136. et p. 1239. et „Geschichte der Pflanzung" etc. I. p. 398., Tzschirner l. l. p. 234. 294. et p. 179—188., Gruner l. l. p. 56 sqq.

37) De illa *τῶν ἁγίων* appellatione accurate disserit Rückert ad Epist. Paul. ad Roman. 1, 7. p. 21.; *sanctorum* autem nomen idque sensu ecclesiastico ante saeculum quintum in consuetudinem non venit, de qua re disputat Reuter in „Albansgulden" p. 193 sqq. De aliis nominibus Christianis a sacris scriptoribus impositis conf. J. E. R. Käuffer in „Bibl. Studien von Geistlichen d. Königreichs Sachsen." 1843. IX. p. 197 sqq.

Lactant. Inst. 5, 11, 9 — 19. et 5, 13, 11. Singula martyrii instrumenta qui accuratius cognoscere cupiet, eum amandabimus ad Arevali, qui post Ant. Gallonium, Casp. Sagittarium, Chr. Kortholtum in ea re posuit operam, accuratissimas disputationes ad Prudent. II. p. 356. 878. 932. 936. 1169. et ad ejusdem tabulas in extremo libro aeri incisas.[38])

Restat, ut, unde Tacitus sua de Christianis[39]) hausisse videatur, dicamus, ex rumore populi Romani, an ex actis senatus diurnisve, an ex Plinio juniore suam sententiam ut alias interrogato (Plin. Epist. 6, 16. et 20.), sed ne pagina libelli plus iusto crescat, observationum chartarumque finis esto.

38) Haec editio in Germania rarissima in cimeli-archio nostri Hessii, Viri literatissimi, est.

39) Tacitus quanquam alias aequissimus alienarum virtutum praeco ac laudator est, tamen nemo, nisi qui in ejus verba temere jurat, eum hic iniquum de Christianis judicium fecisse negabit. Sed uti culpam premit poena comes, ita Tacitus suae sive temeritatis sive inscitiae poenas dedit. Ne quid dicamus de opprobriis, quibus scriptores Christiani eum per multa saecula affecerunt, ipsum ejus mausoleum vetustate collapsum, quod quidem creditum est, dissipatis cineribus saeculo XVII. dirui et solo aequari jussit Hector Simonetta. En vindicta Cimmeriis tenebris et prole Vandalorum haud indigna! Vide, quem laudat Pabst l. l. p. XVII., Francisc. Angelonium in „historia di Terni" (Rom. 1646.) p. 43. et p. 51.